



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

8 Mandatum datum ad resignandum, vel ad consentiendum reservationi pensionis, re integra, potest quandocunque revocari, sed est revocatio intimanda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

Admodum resignanti provideatur de alio beneficio *cap. unio. de rer. permut. in 6. & Clement. unic. eod. tit. & nisi resignante de alio beneficio, pro quo permutatur, provideatur, resignatio, ut facta contra formam mandati, non tenet, ex supra deductis, quia non abdicatur jus à resignante, nisi perfecta resignatione Rota decis. 4. nu. 11. de renunc. in no.*

Tertio † designata persona, & reservatis resignanti omnibus fructibus, demptis scutis centum auri pro titulari, quæ ad minus super Abbatibus, & alijs pinguius beneficijs de stylo reservantur, vel reservata pensione annua centum ducatorum, aut alia inter partes conventa, libera, immuni, & exempta, & tunc, nisi cum eadem reservatione juxta formam mandati, consensus resignationis non admittitur, quia notarij, ad quos officium consensus hujusmodi extendendi spectat, etiam † quod supplicatio sit expedita, si cum mandato non concordat, consensum non admittunt, quicquid in contrarium teneat Rebuff. vir alioquin peritissimus, quod Papa possit dimidiam pensionis sine consensu admittere, & valebit resignatio, *de resig. condit. numer. 25. & 26. par. 3.* quia resignatio esset nulla defectu mandati, *l. diligenter, ff. mand. & Felya. in cap. ex parte numer. 4. de conslit.*

† Clausula enim, quæ in mandatis solet apponi, & non aliàs, aliter, nec alio modo, necessitatem inducit, ita quod ejus transgressio vitiet actum, *Paril. cons. 19. num. 18. 19. & 20. volum. 2.* salva tamen semper absolute Papæ auctoritate.

Mandatum † datum ad resignandum, vel ad consentiendum reservationi pensio-

nis, reintegra, potest quodocunque revocari, sed requiritur intimatio facta procuratori, auferendo ab eo facultatem sibi traditam, aut inhibendo, ne ulterius vigore mandati in ejus personam ad resignandum facti, audeat beneficium resignare, sub pœna nullitatis, & si plures procuratores fuerint constituti, omnibus est revocatio intimanda, quia aliàs intimatio facta uni non prodesset, quoad alium, qui licite posset renunciare, vel sufficeret intimatio facta resignatario, *clement. unic. de renunc. & Rebuff. pract. benef. de revoc. proc. par. 3.* sed, quia de resignationibus. *Pau. Paril. copiosum tractatum edidit, ex quo ad saturitatem commode, quod velis, haurire potes, hæc pauca mihi delibasse sufficiat.*

Beneficiorum † resignationes sunt publicandæ, ut per diversas constitutiones *Innoc. VII. conslit. 13. Pij IV. conslit. 15. Pij V. 182. & Greg. XIII. 87.* quæ ultima, cum omnes constitutiones prædecessorum super publicandis resignationibus comprehendat, reformet, restringat, & abroget, *ut in ead. conslit. circ. fin. vers. decernentes,* ea sola servari debet. Ideo resignationes, jurium cessiones, & beneficiorum permutationes, in Pontificis, seu notariorum Romanæ curiæ, facultatem habentium, manibus factæ, intra sex menses, si citra montes, si verò ultra, intra novem menses à data concessionis gratiæ, non autem à die præstiti super ea consensus numerandos, debent publicari, *ut in ead. conslit. in princ. nos hoc malum, & ex hoc tollitur quæstio, & difficultas, an tempus solum currere debeat à præstiti consensus, de qua per Gomef.*